



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

De Donationibus Inter Virum & uxorem, & de dote post divortium  
restituenda. Titulus XX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

dimittet secundam, & adhaerebit prima repudiata, etiam si repudiata cum alio contraxisset: si fornicata fuisset, hoc tertio.

Idem Tiberiaden. a Episcopo.

**G**Audemus b in Domino: [1 & infra.] Vtrum pagani uxores accipientes in secundo vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas, sic conjuncti debeant post conversionem suam infimul remanere, vel ab invicem separari, edoceri per scriptum Apostolicum postulasti. Super quo taliter respondemus, quod cum sacramentum conjugii apud fideles & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus c dicens: Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat: & in præmissis gradibus a pagano quoad eos matrimonium licitè sit contractum, qui constitutionibus canonicis non arcantur: (quid enim ad nos, secundum Apostolum d eundem, de his quæ foris sunt, judicare?) in favorem præferim Christianæ religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores se deferri timentes viri, possunt facillè revocari: fideles hujusmodi matrimonialiter copulari liberè possunt, & licitè remanere conjunctim, cum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur. Quia verò pagani circa plures infimul fœminas adfectum dividunt conjugalem, utrum post conversionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immeritò dubitatur: [2 & infra.] Verum absolum hoc videtur, & inimicum fidei Christianæ, quum ab initio una costa in unam fœminam sit conversa e: & scriptura divina testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: non dixit tres vel plures: sed duo: nec dixit, adhaerebit uxoris: sed uxori: [3 & infra.] Nec ulli unquam licuit infimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum, quæ mox quandoque, interdum etiam fas censetur: per quam licitè Jacob à mendacio, Israël à furto, & Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ scilicet viri justii, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur. Sanè veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Evangelio f: Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo uxor dimissa, ducialis de jure non potest, fortius & ipsa retenta: per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandum. Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licitè poterit aliam etiam ad fidem Christi conversus habere, nisi post conversionem ipsius, illa teneat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum petrahat ad mortale peccatum: in quo casu restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur: quia secundum Apostolum g frater aut foror non est hujusmodi subiectus servituti. Quod si conversum ad fidem, & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellitur. Quamvis quoque secundum Evangelicam veritatem, qui duxerit dimissam, mœchatur: non tamen dimissus poterit obijcere fornicationem dimissæ, pro eo, quod nupsit alii post repudium, nisi aliàs fuerit fornicata.

[1 Et in potentia virtutis ipsius, & patri luminum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, uberes gratiarum exsolvimus actiones: quod sicut nobis tunc literis intimasti dieb. istis novissimis, ille qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis

a Tiberiaden. b Cap. 2. eod. tit. in 3. compilat. c 1. Corin. 7. d 1. Corin. 7. e Genes. 2. & 3. f Mattha. 19. & Luca 10. g 1. Corin. 7.

convertatur & vivat, ut ad Christianam veniant fidem, multum cordibus instravit, & quoniam uxores acceperant in secundo vel tertio, vel ulteriori gradu sibi conjunctas.]

[2 Quia vero tam Patriarcha quam alii justii viri ante legem pariter & post legem multas uxores infimul habuisse leguntur: nec contrarium apparet in Evangelio vel lege præceptum: neque pagani subijciuntur canonicis institutis post inventum, quemadmodum est præmissum: videtur quod nunc etiam iuxta ritum suum licite contrabant cum diversis, quorum conjunctio legitima vult fieri baptismati non dissolvit, & ita Patriarcharum exemplo ad fidem Christi conversi pagani, conjugiarum pluralitate gaudent.]

[3 Unde Lamech qui plures uxores infimul legitè habuisse, reprehenditur in scripturis, eo quod ipse primus reprobam legem speciem introduxit. Licet autem de hujusmodi non quisquam volens: tamen tam te quam alios super hiis etiam reddere ceteris, & quod veritas prævaleat falsitati, sine dubitatione qualiter præferatur quod.]

#### CAP. IX.

Non licet relictam fratris in uxorem accipere: & de falsi doli separanda est, nisi aliter ecclesia dispenserit.

Idem Livonien. Episcopo, & eis qui cum ipso sunt fratres.

**D**EUS a quæ ecclesiam suam b: & infra. Quia doli par e est ritus in Livonien. ecclesia de novo ad fidem catholicam conversorum à nostro, propter infirmitatem gentis ejusdem concedimus, ut matrimonii contractis cum relictis fratrum utantur, si tamen (sicut tribus decedentibus sine prole, ut semen defuncti iuxta legem Moisaicam suscitarent) cum talibus contraxerint, ne tales sibi de cætero postquam ad fidem venerint, copulent prohibentes.

#### DE DONATIONIBUS INTER VIRUM & UXOREM, & DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

#### TITVLVS XX.

#### CAP. I.

Separato licitè matrimonium, dote restituenda est.

Ex Concilio habito apud Wormaciam.

**M**ulieres cum d pro aliqua licita causa à propriis viris fuerint separatæ, totam dote præcipuum sibi reddi.

#### CAP. II.

Soluto matrimonio cogitur vir dote restituere, & bona decedentis, quæ communiter eis ob venerunt.

Urbanus III. Decano, cantori & capitulo Lexon.

**S**ignificavit P. mulier e, quod H. quem loco viri tenebat, divortio inter eos solenniter celebrato, dote suam illicitè detinet, & reddere contradicit: possessiones etiam, quæ ipsis dum simul viverent, cujuscunque contractus titulo communiter ob venerunt, ea prius excludi sibi nititur vindicare. Ideoq; mandamus, quatenus si ita est, & non est aliud quod obstat, ipsum ad restitutionem dotis, & divisionem eorum, quæ olim communiter habuerunt, districtè eccles. compellatur.

a Cap. 3. eod. tit. in 3. compil. b infra. de parit. & remissis. c aliàs ita: Quia dispar est ritus in Livon. ecclesia de novo, &c. sed in veteribus exemplarib. legitur, ut est impressum. d Cap. 3. eod. tit. in 3. comp. & post Conc. Later. sub Alex. III. par. 30. l. 4. e Cap. 3. eod. tit. in 1. comp. 14.

CAP.

## CAP. III.

Delegatus ad causam matrimonii, si ferat sententiam divortii, pronuntiare debet dotem restitui. Et est casus multum allegabilis.

## Clemens III.

**D**e prudentia a vestra miramur, quod cum vobis causam matrimonii, quae vertebatur inter H. & M. commississemus terminandam, & vos consanguinitatem inter eos invenientes, sententiam divortii tulissetis: de dote, quam à viro mulier repetebat, quicquam statueret distulisset. Quia igitur vos, qui de matrimonio principaliter cognovistis, & de dote (quae est causa incidens) accessorie cognoscere valuistis, & sententia definitur: mandamus, quatenus praedictum H. monitione praemissa cogaris, ut praedicta M. totam dotem (sicut canonicum fuerit) restituere non moretur.

## CAP. IV.

Mulier propter adulterium à viro separata perdit dotem.

## Clemens III. b

**P**lerumque e: [ 1 & infra. ] Si mulier ob causam fornicationis iudicio ecclesiae, aut propria voluntate à viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem vel dotalitium repetere non valet.

[ 1 Accidit, ut proponit, quod in parochia tua mulieres à viro sui causa fornicationis recedunt, & sic usque ad mortem ipsarum permancere noscuntur: ipsi vero defunctis, cum à consanguineis, ad quos hereditate eorum perveniunt, dotem suam cum dotalitio repetunt, eis audientiam denegant, & nolunt restituere, quod reposcunt: ob hanc causam, quia ex ipso se indignas fecisse noscuntur, quod à viro sui causa fornicationis duxerunt recedendum. In hoc itaque dicimus, quod.]

## CAP. V.

Cogitur mulier ex officio iudicis, donata sibi à viro propter nuptias pro conversatione illiciti matrimonii relaxare, si talis donatio praesens impedimentum dissolutioni talis matrimonii. h. d. secundum mentem legem qui plus placet Panormitano.

Innocentius III. Compositi. Archiepiscopo, & universis Episcopis in regno Legionen. constitutum.

**E**t si necesse sit à: & infra. Quia vero castra quadam, quae Rex Legion. filius Regis Castellae in dotem tradidisse proponitur, ita ut si eam aliqua occasione relinqueret, ipsa cederet in jus eius, impedimentum praestare videntur huiusmodi copulae dissolvendae: Cum castra ipsius non tam ob turpem, quam ob nullam causam sint data, utpote cum inter eos matrimonium non existat, & ideo nec dos, nec donatio propter nuptias. Ne ad modum ei cedat, quod debet in poenam eius potius retorqueri: castra ipsa restitui volumus, & ad id puellam per excommunicationis sententiam coartari.

## CAP. VI.

Usufructuarius donans sine consensu Domini rem ipsam uxori propter nuptias, non transfert in eam plus iuris, quam ipse habebit: idem de eo, qui sub conditione adimente habet rem in hereditatem, vel in feudum.

Idem Archiepiscopo, S. Andreae de Scoria.

**N**uper à nobis e tua discretio requisivit, si aliqua terra data fuerit alicui, non in hereditatem vel feudum, sed tantum quoad vixerit possidenda: & ipse postmodum tertiam partem uxori suae in dotem concesserit: utrum eo defuncto praefatam dotem uxor (dum vixerit) habere debeat & tenere: cum ecclesiae dotes protegere teneatur viduarum? Postulasti praeterea, si qua terra data fuerit alicui, & haeredi, quem de uxore

a Cap. i. tit. de dote post divor. restituend. in 2. comp. b Celsinus tertius. c Ca. 3. tit. de dote post divor. restituenda. in 2. compil. d Cap. 1. tit. de dote amit. in 3. compil. e Cap. 2. tit. de dote amit. vel post divor. rest.

legitima procrearet, in hereditatem vel feudum: & ipsa uxori suae quadam parte ipsius in dotem concessa decesserit postmodum sine prole, an mulier dotem eandem de iure possit a habere?

Nos autem consultationi tuae taliter respondem. quod cum regulariter nullus plus iuris transferre possit, quam eum constet habere: vir, cui b terra praedicta modo conceditur, non potest uxori relinquere, quod ei non licuit, nisi quoad vixerit possidere: nec licet uxori suae partem illius terrae in donationem propter nuptias ex vi concessione tenere, nisi donationi ille, ad quem spectat dominium illius terrae, voluerit consentire. Quod autem de prima consultatione dicimus, hoc respondemus etiam de secunda, nam licet ecclesia in causis viduarum se favorabilem debeat exhibere, contra iustitiam tamen non est eis favor Ecclesiasticus concedendus. Illud vero te volumus ignorare, quod uxor dare dicitur viro dotem: vir autem uxori donationem facere propter nuptias, secundum legitimas sanctiones.

## CAP. VII.

Vir agens pro dote, non omnino excluditur ex eo, quod vergat ad inopiam, nec praesens cogitur satisfacere ultra facultatem propriam: sed dos sibi assignatur sub cautione, quam praestare potest. Et si per illam cautionem non esset sufficienter provisum consumptioni dotis, deponetur deus apud mercatorem: ut de honesto lucro vir sustineat onera matrimonii. h. d. secundum intellectum, quem tenet Pan. in harendo verbum litera. Et est casus no. & quotidianus.

Idem Archiepiscopo & Archiepiscopo.

## Genues. c

**P**er vestras d literas intimasti, quod cum Magistrum R. super quadam summa pecuniae pro H. paupere, auctoritate nostra curaveritis convenire: quam idem H. pro dote uxoris suae requirebat, ab eo dictus R. exceptionem opposuit contra ipsum, quod uxorem suam à se repulerat, & tacita veritate super hoc literas impetraverat e: quia cum supra eadem dote alia vice coram vestris civitatis consulis quaestio mota esset, ipsi pronuntiaverunt, ut quoniam idem H. ad inopiam vergere videbatur, dos illa non assignaretur eidem, nisi cautionem idoneam de ipsa non peritura praestaret: unde vos ei, ut de salvanda dote caveret, & uxorem suam reciperet, praecipistis: [ 1 & infra. ]

Cum ergo satis possit ei modicum credi dotis, cui creditum est corpus uxoris: mandamus, quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea, quam potest cautione praestare, vel saltem alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucris dictus vir onera possit matrimonii sustentare: ne occasione dotis detentae, uxor à viro dimissa, seu vir, qui dimisit uxorem, adulterii reatum incurrat.

[ 1 Et donec illud possit facere, dos illa reponetur, si vellet, in secretario ecclesiae lanuen. quod cum implere non possit, ad instantiam eius nobis hoc referre curavimus.]

## CAP. VIII.

Hac decretalis satis seipsam summat.

## Gregorius XI.

**D**onatio s. quae constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta (ex quo alter locupletior, & pauperior alter efficitur) firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur: quae tamen penitus evanescent, si revocetur ab eo tacite vel expresse, vel qui donatum accepit, prius debitum naturae persolvat. Sanè soluto matrimonio, sicut dos ad mulierem, sic & donatio propter nuptias redit ad virum: nisi de consuetudine secus obtineat: vel ex pacto de lucranda dote & donatione propter nuptias, quod aequale sit tamen, hinc inde contrarium inducatur.

a Postis. b al. vir. cui praedicta terra, dicto modo conceditur. c lanuens. d Ca. 3. tit. de dote amit. in 3. compil. e Impetravit. f Vid. Palas. Rubric. in repet. huius Rubric. 6. 20. cum sequentibus.